

§. V.

Necessitas Mundi quoad essentiam a) gravissimus esset error, si Wolffius nobiscum essentias ab existentiis non distinguitas judicasset, & a voluntate divina derivasset: cum vero in utroque a nobis differat, errasse b) sed levius c) videtur.

a) Wolff. Annot. ad Judicium D. Buddei p. 66.

b) per Specim. I §. XI. XII. XIII.

c) Mundum enim existentem & leges motus contingentibus annumerat I. c. & Commentat. p. 26. sqq. cum autem nostræ sententiae objiciat, essentias ipsi esse arbitriarias, e. g. Comm. p. 33. concedimus id quoad arbitrium divinum, & urgemos, Ipsi V. C. essentias esse arbitriarias, & quidem ex proprio adeoque humano arbitrio, singit enim ideas ac definitiones hac ipsa de causa maxime disputabiles.

§. VI.

Existenti autem Mundo & mutationibus, quæ in eodem fiunt, necessitatem, non quidem Metaphysicam, majorem tamen Physica assignat a), eoque ipso partim Providentia divinæ speciali non-miraculosa & efficaciae precum b), adeoque genuinæ Theologiae c) contrariatur, partim ideam mundi imperfectiorem perfectiori præfert d).

a) dum 1) Mundum Machinis annumerat Metaph. §. 557. ordine inverso cum omne artefactum nonnisi imperfekte naturalia imitetur; unde 2) miracula præter necessitatem multiplicat, ut quodvis miraculum peculiari restitutioonis miraculo opus habeat Metaph. §. 639. qua hypothesis miracula difficultiora creditu redduntur. 3) eandem virium moventium quantitate in universo persistere asserit Metaph. §. 762. 709. quam tamen thesin neque Elementa Mechanic. §. 425. 426. citata probant, quippe quæ de occurso Elasticorum unice agunt, neque Bulffingerus in Dilucid. §. 172. ex ambigua regula: *Effectum plenum equipollere viribus cause integræ*; satis evicit: quis vero non sentit, in gratiam Harmoniæ præstabilitæ hæc esse efficta? v. Hollmann, de Harm. §. 22. sq.

b) Mundus non indigeret Providentia, nec preces sine miraculo vel potius miraculis unquam primarium finem consequerentur quicquid de secundariis finibus Celeb. Bulffingerus protulerit Dilucid. §. 501. aliisque.

c) cui tamen maxime consentire Philosophiam suam passim prædicat Dn. Wolffius, omniaque genuina Philosophemata consentire debent.

d) perfectior sane est Mundus, divinaque attributa magis declarat, in quo non tantum Deus citra miraculum, sed ipse etiam homo mutare ac movere potest, sine destructione totius systematis, quam mundus ille machinarius vel imaginarius, qui ne minimam quidecum mutationem sine totali destructione patitur.

§. VII.